

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
AUTHENTICE INTERPRETANDO

COMMUNICATIONES

VOL. XVI - N. 2

1984

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICIS IURIS
CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1984

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Epistula Apostolica de urbe Ierusalem	105
Ex Adhortatione Apostolica de Reconciliatione et Poenitentia in hodierno Ecclesiae munere	110
Messaggio del Papa all'88º Katholikentag: « tutelare la dignità della persona nei suoi inalienabili diritti »	122
Messaggio del Papa al Congresso di Ottawa: « Il ruolo dei canonisti nella vita della Chiesa »	125

Allocutiones

Ex allocutione ad eos qui conventui quorundam Praesidum coetuum legibus ferendis ex Europa interfuerunt, coram admissos	128
Ex allocutione ad quosdam Mexici episcopos occasione offerta « ad limina » visitationis	132
Allocutio ad Praelatos Auditores S. Romanae Rotae coram admissos	134
Ex allocutione ad eos qui plenario coetu pro Familia interfuerunt	140

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetum studiorum labores

I. Coetus studiorum « De Normis Generalibus » (Sessio I*)	143
II. Coetus studiorum « De Sacra Hierarchia » (Sessio I*)	158
III. Coetus studiorum « De institutis Perfectionis » (Sessio I*)	196

ACTA COMMISSIONIS

Responsa ad proposita dubia	240
---------------------------------------	-----

DOCUMENTA

I. La communion ecclésiale dans le nouveau Cōde de droit canon	242
II. Una norma generale (Sacri ministri e potere civile)	267

NOTITIAE	271
--------------------	-----

Opera a Bibliotheca Commissionis recepta	272
--	-----

II

COETUS STUDIORUM DE SACRA HIERARCHIA

Sessio I

(diebus 24-28 octobris 1966 habita)

Diebus 24 ad 28 octobris anni 1966, in aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas Codicis I. C. « de clericis ».

Relationem de quaestionibus propositis paraverant duo consultores, alii omnes votum mandaverunt Secretariae Commissionis.


Quaestiones a Secretaria Commissionis propositae erant sequentes:

1. quaenam sint addenda, supprimenda aut mutanda circa clericorum adscriptionem dioecesi vel religioni (can. 111-117);
2. quaenam sint addenda, supprimenda aut mutanda circa iura et privilegia necnon obligationes clericorum (cann. 118-144).

I.

DE CLERICORUM ADSCRIPTIONE SEU INCARDINATIONE

Quaestionem introducit qui munere praesidis fungitur, declarans in ordine ad recognoscendam legislationem de incardinatione seu adscriptione clericorum sequentia esse attendenda: 1) attendendus est imprimis valor originarius incardinationis, qui provenit ex systemate relativae ordinationis, i.e. ordinationis in servitium alicuius Ecclesiae particularis. Sensus incardinationis, quatenus est in servitium alicuius Ecclesiae particularis, in canonibus non quidem formaliter affirmari debet, sed ad effectum deduci debet; sed haec consideratio non ita valet pro religiosis; 2) attendi debet etiam necessitas providendi tum aptae cleri distributioni tum requisitis ad peculiaria opera apostolica perficienda, iuxta ea quae statuta sunt in Decreto Concilii Vaticani II « Presbyterorum Ordinis » et in Motu Proprio Pauli VI « Ecclesiae Sanctae », et ideo necessitas ita instituendi clericos ut sollicitudinem habeant imprimis Dioecesis aut Praelatura in cuius servitium ordinantur, sed etiam paratos



se exhibeant, in bonum Ecclesiae universae, qui Ecclesiis particularibus sese devoveant gravi cleri penuria laborantibus; attendi ergo debet necessitas normas condendi quibus omnibus his exigentiis provideatur.

Variae quaestiones deinde proponuntur a secretario adiuncto, quae incardinationem respiciunt, et quidem iuxta ordinem qui infra habetur.

1. *Principium adscriptionis seu necessitas incardinationis et communitates in quibus clerici adscribuntur.*

1) *Necessitas adscriptionis clericorum requiritur, ut clerici vagi seu acephali non habeantur.* De hoc principio omnia membra Coetus convenient. Item convenient in can. 111, § 1 immediate esse indicandas communitates in quibus incardinatio seu adscriptio fieri potest. Ad hoc attendi debent can. 111, § 1 Codicis, et insuper Decretum « Presbyterorum Ordinis », et Motu Proprio « Ecclesiae Sanctae ».

Proponitur a secretario adiuncto ut admittatur textus, quem enuntiat relatio a quodam consultore confecta, qui textus concordat cum votis aliorum, sed, quoad formam, aliquatenus mutandus est. Textus est: « Quemlibet clericum oportet esse vel alicui Ecclesiae particulari aut Praelatura personali vel alicui religioni aut societati ad hoc autorisatas incardinatum, ita ut clerici acephali nullatenus admittantur ».

Proponit secretarius adiunctius ut loco particulae « vel », adhibeat particula « aut »; insuper ut dicatur « societati hac facultate ab Apostolica Sede donatae ». Proponit alias Consultor ut dicatur « ita ut clerici acephali seu vagi nullatenus admittantur ». De his mutationibus omnes consentiunt.

Textus itaque approbatus fit: § 1 « *Quemlibet clericum oportet esse adscriptum aut alicui Ecclesiae particulari aut Praelatura personali aut alicui religioni, aut societati hac facultate ab Apostolica Sede donatae, ita ut clerici acephali seu vagi nullatenus admittantur* ».

(*Nota:* verbum « *minime* » melius esset, quam « *nullatenus* », quod quidem est posterioris latinitatis).

2) *Quaenam veniant nomine Ecclesiae particularis definire oportet, iuxta omnia membra.* Primo proposita est sententia his verbis « Ecclesiae particulari seu dioecesi aequiparantur ... etc. », sed in hoc casu in § 1 addenda essent verba « alicui Ecclesiae particulari seu dioecesi ». Est qui proponit ut formula adhibeatur « *Nomine Ecclesiae particularis veniunt* »; aestimat secretarius adiunctus praferendum esse verbum « *intelliguntur* », loco « *veniunt* ». Itaque, cum omnes consentiant, textus proponitur sequens, pro can. 111, § 2 « *Nomine Ecclesiae parti-*

cularis intelleguntur dioecesis, praelatura et abbatia nullius, praefectura et vicaria apostolica, necnon administratio apostolica stabiliter erecta ».

3) *Praelatura personalis ius sibi incardinandi clericos determinatos in fines declarari et definiri debet, iuxta omnes. Tanquam basis accipitur textus propositus a quodam Consultore, videlicet: « Praelatura personalis est clericos sibi incardinate mobiles qui mittuntur ad servitium sacram praestandum in aliqua Ecclesia particulari cleri inopia laborante aut destinantur ad peculiaria opera pastoralia vel missionaria perficienda pro variis regionibus aut coetibus socialibus, qui speciali indigent adiutorio ».*

Proponit secretarius adiunctus ut loco indicativi « mittuntur » et « destinantur », adhibetur coniunctivus, quo *finis* Praelatura personalis indicatur, et *finis* in quem incardinare potest, ut igitur adhibeantur « mittuntur » et « destinantur ». Quare textus iam prius propositus ita sonat: « Praelatura personali competit sibi incardinare clericos qui mittuntur ad servitium sacram praestandum in aliqua Ecclesia particulari cleri inopia laborante aut qui destinantur ad peculiaria opera pastoralia vel missionaria perficienda pro variis regionibus aut coetibus socialibus qui speciali indigent adiutorio ».

Attamen, notant duo simul consultores aliam formulam forsitan esse meliorem, ne semper iterum et iterum in canonibus sequentibus enumerari debeant « Ecclesia particularis et Praelatura personalis », haec repetitio verborum ut vitetur proponit quidam ex Consultoribus ut dicatur in can. 111, § 3: *Ecclesiae particulari, in canonibus quae sequuntur, aequiparatur Praelatura personalis, cui quidem competit clericos sibi incardinare etc. ».*

De hac mutatione textus omnia membra consentiunt. Quare textus can. 111, § 3 est sequens: « *Ecclesiae particulari, in canonibus qui sequuntur, aequiparatur Praelatura personalis, cui quidem competit sibi incardinare clericos qui mittuntur ad servitium sacram praestandum in aliqua Ecclesia particulari cleri inopia laborante aut destinantur ad peculiaria opera pastoralia vel missionaria (melius: missionalia) perficienda pro variis regionibus aut coetibus socialibus, qui speciali indigent adiutorio ».*

4) *Ad determinandum ius adscriptionis religionum et societatum clericalium* textus proponitur, ut sequitur: « Religiones et societas clericale exemptae ipsam lege generali ius habent clericos sibi incardinandi, aliae vero religiones et societas virorum in communi viventium sine votis ad hoc indigent speciali autorizatione, quae mediante Con-

ferentia Episcopali competente ab Apostolica Sede petenda est. Privilegia adhuc concessa revocantur ».

Aestimant autem nonnulli Consultores et secretarius adjunctus, cum quibus alii conveninunt, hanc determinationem spectare ad legislationem de religiosis et de societatibus clericalibus. Itaque remittitur haec determinatio ad legislationem de religiosis et ad legislationem de societatibus clericalibus.

5) Propositum est a quodam Consultore ut declaretur etiam incardinationem fieri debere per se in loco domicilii aut originis, iuxta can. 956 et 969, § 2. Aestimant autem alia membra, quibuscum deinde consentit Consultor proponens, hanc determinationem respicere legislationem de ordinatione sacra non autem proprie adscriptionem alicui Ecclesiae particulari.

2. Radix incardinationis

1) *Modus quo fit incardinatio*, radix eiusdem definiri debet. Diversae propositae sunt sententiae: radix sit prima tonsura (4 consultores); sit subdiaconatus (2 consultores); sit diaconatus (1 consultor). Animadvertisit autem quidam Commissionem Liturgiae proposituram esse ut prima tonsura et ordines minores supprimantur, saltem probabiliter.

Insuper prima tonsura non amplius habet momentum quod prius habebat. Quare, post discussionem, conveniunt membra ut dicatur aliquem fieri clericum per receptionem subdiaconatus.

Etiam religiosus qui iam est, clericus fit per subdiaconatus receptionem. Sane, ut animadvertisit aliquis ex consultoribus professione religioni adscribitur, sed tanquam religiosus non tanquam clericus; tanquam clericus adscribitur eidem religioni per subdiaconatum. Omnes conveniunt legislationem illud affirmare debere.

Quare can. 111 bis ita proponitur enuntiandus:

« § 1. *Per receptionem subdiaconatus aliquis fit clericus et adscribitur Ecclesiae particulari pro cuius servitio promouts est* ».

§ 2. Item per receptionem subdiaconatus religiosus qui vota perpetua emiserit et sodalis societatis qui promissiones perpetuas fecerit, adscribitur tanquam clericus religioni aut societati in qua promotus est ».

2) *Utrum de termino seu fine incardinationis etiam hic sermo fieri debeat*, est quaestio posita, quia aestimat quidam mentionem fieri de hoc termino debere seu saltem posse. Cum autem alia membra censeant de eo agendum esse ubi de reductione ad statum laicalem, remittitur quaestio.

3) *Officia cum incardinatione cohaerentia* immediate post canones 111 bis, § 1 et 2, in aliis §§ enuntianda esse censet idem consultor, quia certa sunt officia quae non cohaerent cum statu clericali qua tali, sed quae ex ipsa incardinatione proflunt. Non instat tamen, quia illa officia etiam enuntiari possunt ubi de officiis clericorum agetur. Alii omnes aestimant de officiis clericorum sub uno titulo esse agendum, sed in eo titulo officia quaedam proponenda esse uti exsistentia *vi incardinationis*.

3. *Mutatio formalis incardinationis*

Mutatio incardinationis explicita, seu per excardinationem formalem ex una Ecclesia particulari et incardinationem in aliam, de qua in can. 112, § 1, consideratur, et conveniunt membra in admittendo retinendum esse textum canonis. Attamen, proponente quodam consultore, delenda affirmantur verba canonis « *perpetuae et absolutae* », quia revera facilior reddi debet mutatio adscriptionis Ecclesiae particulari, ubi bonum Ecclesiae id postulat.

Praeterea, logice admittitur loco verbi « *dioecesis* », uti in canone 112, ponenda esse verba « *Ecclesia particularis* ».

Quare, textus can. 112 proponitur ut sequitur:

« *Ut clericus alienae Ecclesiae particulari valide incardinetur, a suo Ordinario obtinere debet litteras ab eodem subscriptas excardinationis: et pariter ab Ordinario alienae Ecclesiae particularis litteras ab eodem subscriptas incardinationis* ».

Aestimat quidam consultor in § 2 huius canonis affirmandum esse excardinationem et incardinationem formalem concedi non posse a Vicario Episcopali, nec a Vicario Capitulari, nisi post annum a vacatione sedis episcopalibus, et cum consensu Consilii presbyteralis. Sed, proponente altero consultore, haec regula postea enuntianda est, quia eadem regula admitti debet ut clericus emigrare possit ad aliam Ecclesiam particularem, etiam servata incardinatione in propria Ecclesia particulari. Consentit Consultor proponeus, ut vitentur repetitiones.

4. *Mutatio incardinationis automatica*

1) Omnes concordant suppressandam esse prescriptionem can. 114, quia, iuxta Decretum « *Presbyterorum Ordinis* » primus locus tribundus est officio, et beneficium ut accessorium habendum est.

2) *Novus modus automaticae incardinationis* admittendus est ex Motu Proprio « *Ecclesiae Sanctae* »: de eo omnes conveniunt et con-

sentiunt in admittendo textu dicti Motu Proprio tanquam § 1 canonis. Itaque haec § sonat ut sequitur:

« § 1. *Clericus qui a propria Ecclesia particulari in aliam legitime transmigraverit huic Ecclesiae particulari, transacto quinquennio, ipso iure incardinatur, si talem voluntatem in scriptis manifestaverit tum Ordinario Ecclesiae hospitis tum Ordinario proprio, nec horum alteruter ipsi contrariam scripto mentem intra quattuor menses significaverit ».*

3) *Alius modus automaticae excardinationis*, de quo in Codice, in can. 115, proponi debet. Post brevem deliberationem inter membra coetus, textus Codicis servatur, sed admissis necessariis adaptationibus. Qui textus canonis, § 2 ita sonat:

« § 2. *Etiam per professionem perpetuam in religione aut per permissionem perpetuam in societate facultate sibi clericos adscribendi gaudente, clericus a propria Ecclesia particulari excardinatur, et religioni aut societati adscribitur ».*

Est tandem qui aestimat etiam quaestionem esse debere de statu clericorum e patria expulsorum, qui, iuxta eundem, in Ecclesia particulari ubi recipiuntur quasi-incardinati interim haberi debent. Sed observat qui munere praesidis fungitur quasi-incardinationem esse notionem confusam, et proponit ut de iis clericis agatur ubi obligationes clericorum recenseantur. Quocum omnes conveniunt.

5. *Emigratio in aliam Ecclesiam particularem, sine incardinatione*

1) Textus Motu Proprio « Ecclesiae Sanctae » proponitur inserendus, uti est, videlicet quattuor §§ Motu Proprio, n. 3, §§ 1, 2, 3, et 4, inserenda proponuntur ab uno consultorum. Attamen iuxta mentem alterius Consultoris, § 1 et 3 sese referunt ad ordinationem, non ad incardinationem. Cui respondet secretarius adjunctus quod dictae §§ etiam respiciunt clericos iam ordinatos. Est consultor qui animadvertisit quaestionem esse in iis §§ de tutela quam clerici habere debent, quando in aliam transmigrant Ecclesiam particularem. Alius admittit quaestiones tractatas in iis §§ esse cum aliis connexas, sed censet difficile de institutione clericorum quaestionem esse posse, ubi de incardinatione tractatur. Tandem est qui proponit ut ordo §§ mutetur, sed ut serventur quattuor §§ in hoc loco, saltem provisorio, ita ut postea §§ quae potius respiciunt institutionem clericorum transferri valeant ad alium locum; interim autem in hoc loco servantur, ne pereat textus qui omnino inse-

rendus est in novo Codice. Quare proponitur et admittitur textus sequens:

« § 1. *Extra casum verae necessitatis propriae Ecclesiae particularis, Ordinarii ne denegent licentiam emigrandi clericis, quos paratos sciant atque aptos aestiment qui regiones petant gravi cleri inopia laborantes, ibidem sacrum ministerium peracturi; curent vero ut per conventionem scriptam cum Ordinario loci quem petunt iura et officia eorum clericorum stabiliantur ».*

§ 2. *Curent Ordinarii ut clerici ita instituantur ut non tantum Ecclesiae particularis in cuius servitium incardinantur, sed universae Ecclesiae quoque sollicitudinem habeant, atque paratos se exhibeant qui Ecclesiis particularibus, quarum gravis urget necessitas, sese devoveant ».*

§ 3. *Ordinarii licentiam ad aliam Ecclesiam particularem transmigrandi concedere possunt suis clericis ad tempus praefinitum, etiam plures renovandum, ita tamen ut iidem clerici in propria Ecclesia particulari incardinati maneant atque, in eandem redeuntes omnibus iuribus gaudent, quae haberent si in ea sacro ministerio addicti fuissent ».*

§ 4. *Curent iidem Ordinarii ut clerici a propria Ecclesia particulari ad Ecclesiam particulararem alterius nationis transmigrare intendentes apte praeparentur ad ibidem sacrum ministerium exercendum, ut scilicet et linguae nationis scientiam acquirant, et eiusdem institutorum, condiciorum socialium, usum et consuetudinum intelligentiam habeant ».*

Iuxta supradicta, conveniunt omnia membra §§ 2 et 4 huius textus, postea, si id expedire videatur, transferri posse in alium locum Codicis: v.g. § 2 in loco, ubi agitur de institutione sacerdotali; § 4, in loco ubi quaestio est de obligationibus Episcoporum.

2) *Alia quaestio ponitur a quodam Consultore: distributio apta cleri requirit ut iam ante incardinationem ponatur, et sic ponitur quaestio de erectione seminariorum etc. ... Idemque Consultor textum suae relationis, in p. 15 legit.*

Sed respondeat aliquis, hanc quaestionem tractandam esse ubi de ordinatione normae tradentur. Membra Coetus omnia consentiunt.

6. *Causae ad licitam excardinationem*

1) *Causae excardinationis licitae considerantur. Varias opiniones exponit Secretarius adjunctus:*

a) iuxta quemdam e coetu, servari potest textus can. 116: « non

sine iustis causis, et effectum non sortitur nisi incardinatione obtenta in alia Ecclesia particulari »;

b) determinandae sunt iustae causae, iuxta tres Consultores: « non sine iustis causis, quae sunt Ecclesiae utilitas vel bonum ipsius clericci ». Notat quidam ex collegio causas indicatas non posse restringere possibilitatem, quia est res gratiosa.

Insuper ponitur quaestio utrum servanda sint verba « et effectum non sortitur nisi incardinatione obtenta etc. « Iuxta duo Consultores servanda sunt haec verba, quia secus haberi possunt casus in quibus clericus nullam habet Ecclesiam particularem; est tamen qui advertit, verba delenda esse, quia inutilia.

Textus admittitur, loco canonis 116 ponendus, qui sequitur postea. Ad quaestionem autem utrum servanda sint verba « et effectum non habent nisi ... » proponitur et admittitur ut in canone 112, altera de hac re addatur. Ergo can. 112 ita sonat: § 1. Ut clericus alienae Ecclesiae particulari valide incardinetur etc. ... ».

§ 2. *Excardinatio ita concessa effectum non sortitur nisi incardinatione obtenta in alia Ecclesia particulari ».*

2) *Utrum recursus clericci contra decisionem Episcopi admitti debeat, controvertitur:*

a) duo Consultores tenent possibilitatem recursus esse affirmandam. Est qui legit textum quem paravit: clericus recursum habebit, si interesse habet legitimum et si Episcopum receptorem iam invenerit. Iuxta unum ex Consultoribus, possilitas recursus affirmari debet, quia clericus a iure protegi debet. Quocum consentiunt duo membra coetus.

b) Aliquis aestimat pericula adesse posse in quibusdam casibus applicationis: clericus potest intentionem habere petendi aliam regionem, in qua maiorem personam habet et in qua conditiones sociales sunt meliores.

c) Animadvertisit aliis recursum praevidentum esse, et competentiam ad recipiendum recursum esse tribuendam alicui Commissioni nationali.

Consentiant igitur membra Coetus in admittendo textu sequenti:

« *Excardinatio licite concedi nequit sine iustis causis, quales sunt Ecclesiae utilitas aut bonum ipsius clericci. Sed nec denegari potest nisi existantibus gravioribus causis; quae si adsint, licet clericu qui Episcopum receptorem invenerit contra decisionem denegantem recurrere via sive administrativa sive iudiciaria ».*

Notatur iuxta membra Coetus quaestionem de constituenda Commissione nationali, apud quam recursus fieri possit, ponendam esse ad Librum IV.

7. *Causae ad licitam incardinationem*

Tamquam basis discussionis sumitur textus canonis 117 Codicis.

- a) Textus canonis retinendus est uti iacet, iuxta unum ex membris.
- b) Delenda sunt verba in n. 2: « *graviter onerata eius conscientia* », iuxta mentem duorum consultorum: obligatio moralis in canonibus dijudicari non debet; canones obligationem canonicam respiciunt, saltem directe.
- c) in n. 1 mutationes quaedam proponuntur a duobus consultoribus, scilicet sermo fieri non debet de titulo ordinationis, sed de sustentatione clericorum.
- d) Iuxta mentem cuiusdam consultoris, in n. 3 supprimi debent verba « *declaraverit se in perpetuum ...* », et poni debet verbum « *stabiliter* ».
- e) Est qui affirmat, supprimenda esse in n. 2 verba « maxime si agatur de incardinandis clericis diversae linguae et nationis ». Contra, aliquis aestimat retinenda esse illa verba, quia difficultates haberi possunt in persona, et difficultates praecaveri debent. Instat unus ex consultoribus, cui assentit alter, quia verba illa odiosa sunt, praesertim hodie.
- f) Iuxta membrum coetus, in n. 2 supprimi debent verba « *de clericis natalibus* », quia supponitur quod legitime ordinatus fuit.

Post deliberationem proponitur et admittitur textus uti sequitur:

« *Ad incardinationem alieni clerici Ordinarius ne deveniat, nisi:*

1. *Necessitas aut utilitas sua Ecclesiae particularis id exigat, et salvis iuris praescriptis honestam sustentationem clericorum respiciens;*
2. *Ex legitimo documento sibi constiterit de concessa excardinatione, et habuerit praeterea ab Ordinario excardinante, sub secreto si opus sit, de clericis vita, moribus ac studiis opportuna testimonia;*
3. *Clericus eidem Ordinario scripto declaraverit se novae Ecclesiae particulari servitio velle addici ad normam sacrorum canonum ».*

8. *Quinam concedere possint excardinationem, incardinationem, atque licentiam transmigrandi.*

Proponitur textus a duobus viris, scilicet textus in quo canon 114 aptatur et extenditur etiam ad licentiam transmigrandi.

Iuxta quemdam Consultorem, Vicarius capitularis non potest excardinationem, incardinationem et dictam licentiam concedere sine consensu Consilii presbyteralis. Sed ipsi opponitur per sedis vacationem hoc Consilium cessare, iuxta Motu Proprio « Ecclesiae Sanctae », Quare servatur textus canonis « de consensu Capituli ».

Textus igitur recipitur ut sequitur:

« *Excardinationem et incardinationem, itemque licentiam ad aliam Ecclesiam particularem transmigrandi, concedere nequeunt Vicarius Generalis vel Vicarius Episcopalis sine mandato speciali; nec Vicarius Capitularis, nisi post annum a vacatione sedis episcopalibus, et cum consensu Capituli ».*

9. *Iterum quaestio de clericis transmigrantibus*

Notat quidam clarissimus vir normam esse proponendam, vi cuius clericus qui transmigraverit revocari potest, aut etiam ab Episcopo receptore dimitti, si adsunt iustae causae. Conveniunt alii omnes. Quare admittitur textus sequens, addendus ut § 5 canoni agenti de emigrantibus in aliam dioecesim:

« *§ 5. Clericus qui legitime in aliam Ecclesiam particularem transierit, suae propriae Ecclesiae manens incardinatus, a proprio Episcopo aut Praelato iusta de causa revocari potest, dummodo serventur conventiones cum alio Episcopo initiae atque requisita naturalis aequitatis. Pariter, iisdem condicionibus servatis, ordinarius alienae Ecclesiae particularis iusta de causa poterit eidem clero licentiam ulterioris commorationis in suo proprio territorio denegare ».*

Discussio fuit utrum verba adhibenda sint « requisita naturalis aequitatis », an verba « requisita canonicae aequitatis ». Plerique aestimarunt verba esse adhibenda « requisita naturalis aequitatis ».

II.

DE IURIBUS ET OBLIGATIONIBUS CLERICORUM

Praenotanda quaedam recenset Secretarius adjunctus de ordine dicendorum et de verbis adhibendis:

a) Imprimis, iuxta duos viros, primo loco determinari debent in Codice obligationes clericorum, postea tantum de eorundem iuribus et privilegiis agere debet Codex; quod omnes admittunt, sed, ut notat quidam, melius forsitan est ut insimul Codex recenseat tum obligationes tum iura clericorum;

b) deinde, iuxta mentem trium consultorum sermo fieri non debet de privilegiis clericorum, sed de eorundem iuribus et *praerogativis*; communius admittunt membra Codicem tractare debere *de obligationibus et iuribus clericorum sub eodem titulo*; uti illud proposuit alius Consultor, *cui alii assentientur*.

Attamen iuxta propositionem a secretario adjuncto factam, in hac discussione servetur ordo Codicis, sed postea ordo novi Codicis est determinandus.

Unde prius de iuribus et praerogativis clericorum, deinde de eorundem obligationibus tractetur.

A. DE IURIBUS ET PRAEROGATIVIS CLERICORUM

1. *Can. 118*

Exponit secretarius adjunctus membrorum huius coetus opiniones, sicuti expositae sunt in eorundem relationibus vel votis scriptis. Conveniunt omnes textum, uti iacet in Codice, servari non posse. Re quidem vera:

a) sunt laici qui, in totali servitio cum sint alicuius Ecclesiae, ius habent ad pensiones ecclesiasticas;

b) de beneficiis sermo non fieri debet, ergo nec de iure ad beneficia obtainenda, quia beneficia ut accessoria ad officia habenda sunt;

c) certum est solos clericos potestatem ordinis proprie dictam exercere posse, quia soli clerci per ordinationem hanc possident potestatem;

d) ad potestatem iurisdictionis quod attinet, laici, si ita disponit hierarchia, partem habere possunt in eiusdem exercitio.

Variae proponuntur opiniones de hoc canone:

Quidam distinctionem facit, sed quae videtur nimis generalis et non sat determinata (« Licet et laicis quaedam concedit possit participatio in exercito ordinis et iurisdictionis, soli tamen clerici possunt veram ac propriam potestatem ... »); aliam distinctionem facit, alius vir, in relatione sua, p. 28 ubi distinctio fit inter officia fundata in iure divino vel characterem praevalenter pastoralem habentia et officia quae secum ferunt functionem solummodo technicam;

Est qui servat textum canonis 118, sed solummodo pro potestate ordinis et iurisdictionis;

Alius eundem textum servat etiam quoad *officia* (non *beneficia*) ecclesiastica.

Est qui proponit ut dicatur: « Soli clerici possunt potestatem sacram obtinere ». Hanc formulam nimis generalem et indeterminatam esse aestimat quidam, qui proponit aliud textum, videlicet: « Soli clerici obtinere possunt officia ad quorum exercitium requiritur potestas ordinis aut potestas iusdiscretionis ecclesiasticae ordine sacro innixa ».

Hunc textum primo admittit etiam unus ex consultoribus, sed postea, consensum suum retrahens, textum proponit « Soli clerici obtinere possunt officia ad quorum exercitium requiritur potestas sacra ».

Haesitant membra coetus, sed *provisorie* admittunt priorem textum, a praecedente Consultore propositum; solus secundus dissentit et rogat ut sua opinio contraria in relatione notetur.

In fine admissum est quaestionem iterum studio submittendam esse.

2. *Can. 119: de reverentia clericis debita*

Iterum variae sententiae scripto traditae exponuntur a Secretario adjuncto: quidam opinantur textum servari posse (duo membra); alium textum proponit alius consultor, sed opinatur omnes canones privilegia respicientes abolendos esse; est et qui proponit ut supprimatur canon, quia ille canon non adducit populum ad maiorem reverentiam erga clericos, et in hac opinione etiam est alius consultor; est vero qui proponit ut affirmetur *ius* clericorum ad reverentiam fidelium; non deest tandem qui aestimat servari posse textum canonis, sed sublatis verbis ultimis « seque sacrilegii delicto commaculant, si quando clericis realem iniuriam intulerint ».

Proponit Consultor quidam, ut canon aboleatur, quia odiosum aliquatenus est de iure ad reverentiam sermonem facere, et proponit ut *de obligatione* ad reverentiam erga clericos sermo fiat ubi determinantur

obligationes omnium christifidelium. Hanc propositionem omnes admittunt.

3. *Cann. 120-123: de privilegiis clericorum*

Variae sententiae de his privilegiis exponuntur, uti in votis et relationibus proponuntur:

a) iuxta unum ex consultoribus remanere debent textus canonum uti sunt; eandem sententiam videntur admittere duo alii consultores, sed addunt sermonem esse faciendum de iure clericorum ad honestam sustentationem;

b) privilegia abolenda esse aestimant duo consultores, et expresse alii duo convenientur.

c) Etiam est qui censet privilegia esse abolenda, sed unam regulam servat, pro can. 121: iustum est, arguit, ut clerici servent leges civiles et coram Civitate respondeant de earum observatione.

Post discussionem, proponitur ut quoad exemptionem a servitio militari et a certis muneribus publicis, affirmetur postea ubi de clericorum obligationibus agetur — obligatio clericorum utendi exemptionibus concessis in Civitatibus. Hanc propositionem admittunt omnes. Quare postea quaestio tractabitur.

3. *Iura clericorum determinanda*

Admittunt membra coetus iura quaedam clericorum esse definienda: non sufficit ut eorundem obligationes definiantur, sed etiam eorum iura determinari debent. Elenchus iurum, qui proponitur ab uno consultorum (in pp. 85-86 suae relationis), a secretario adjuncto proponitur inspiciens; quocum omnes consentiunt.

1) Primo loco affirmandum proponitur clericorum ius ad cooperationem cum proprio Episcopo, et deinde eorundem ius obtinendi missionem in actione pastorali Ecclesiae. Quidam proponit ut dicatur ius « ad aliquod ministerium obtinendum ». Omnes concordant. Proponitur textus provisorius, ut sequitur:

Can. § 1. *Clericis ius est cooperandi cum proprio Episcopo in exercitio ministerii episcopalis, iuxta iuris praescripta.*

§ 2. *Clerici, verificatis conditionibus iure requisitis, ius habent ad obtinendum aliquod ministerium ecclesiasticum.*

2) Ulterius, iuxta plerosque, affirmari debet *ius clericorum* ut habeant tempus sufficiens liberum ut uti possint subsidiis ad vitam spiritualem fovendam necessariis; insuper ut possint vacare studiis ad perficiendam suam formationem intellectualem; iuxta aliquos tamen (duo Consultores), ius eorundem non debet affirmari, sed potius officium Episcopi ipsis praebendi tempus necessarium. Ius affirmandum censem sex simul Consultores. Quare, iuxta sententiam maioritatis, proponitur textus ut sequitur:

Can. Ius est clericis ut sibi praebeatur tempus requisitum ad utendum subsidiis ad vitam supernaturalem fovendam necessariis necnon ad formationem intellectualem, praesertim theologicam, per studia perficiendam.

3) Insuper proponitur ab uno Consultorum ut affirmetur clericorum ius ad associationes cum aliis clericis constituendas ad fines honestos. Animadvertisit alius hoc ius non esse clericis exclusivum, sed esse ius omnibus christifidelibus commune, et ideo hoc ius non esse affirmandum in hoc loco. Cum autem respondit quidam Consultor utile esse ut hoc ius specialiter etiam de clericis affirmetur, omnes admittunt textum quemdam proponi posse, quo hoc ius affirmetur. Proponitur ergo textus provisorius:

Can. « Ius est clericis sese consociandi cum aliis ad vitam spiritualem fovendam vel ad alios fines honestos statui clericali congruentes consequendos ».

4) Praeterea, iuxta eundem Consultorem qui supra, affirmari etiam debet eorundem ius ad tempus feriarum sufficiens; quod omnes admittunt, sed nonnulli aestimant addendum esse hoc tempus iure particulari determinandum esse. Proponitur ergo:

Can. « Clericis ius est ut debito et sufficienti quotannis gaudeant feriarum tempore, iure particulari determinando ».

5) Etiam ius ad honestam sustentationem affirmari debet, et quidem, iuxta omnes, secundum praescripta Decreti « Presbyterorum Ordinis ». Quare proponitur textus qui infra recensetur, simul cum textu, in quo affirmatur eorundem ius ad congruentem praecaventiam et adsistentiam sanitariam. Textus ergo proponitur provisorius sequens:

Can. § 1. Clericis ius est ut pro ministerio ecclesiastico quod exercent, ratione habita tum ipsius munerae tum locorum temporumque condicionum, remunerationem percipient suae condicioni con-

gruam, qua possint necessitatibus vitae sua et illorum qui servitio suo se dedicant providere atque etiam indigentibus per seipsos aliqua ratione subvenire ».

§ 2. *Item ipsis ius est ut provideatur suaे congrenti praecaventiae et adsistentiae sanitariae, utque prospiciatur suaे sustentationi, si infirmitate, invalidate aut senectute laborant ».*

6) Tandem, iuxta omnes, affirmari etiam debet clericorum ius recurrendi ad competentem auctoritatem, ut tueri valeant efficaciter iura sua propria. Quare proponitur textus provisorius, ab omnibus adprobatus:

Can. « *Clericis ius est ad competentem autorictatem ecclesiasticam recurrendi, ut efficaciter iura statui clericali propria vindicare valeant ».*

B. DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM

1. De vita spirituali

Conveniunt omnes imprimis textum esse elaborandum, in quo obligatio clericorum affirmatur ad vitam perfectiorem. Sed, ut notant tres Consultores, dici non debet « sanctiorem vitam *prae laicis* », quia haec comparatio cum laicis est inutilis, et quia etiam omnes laici ad sanctam vitam vocantur. Alia ex parte titulus novus affirmandus est quo clerici, praesertim sacerdotes, ad perfectionem acquirendam tenentur. Quare, iuxta textum Decreti « Prsbyterorum Ordinis » proponitur textus canonis 124 mutandus ut sequitur:

Can. 124

« *In vita sua ducenda, ad perfectionem acquirendam peculiari ratione tenentur clerici, praesertim sacerdotes, quippe qui, Deo in Ordinis receptione novo modo consecrati, dispensatores sint mysteriorum Dei in servitium Eius populi ».*

Deinde media quae in ordine ad perfectionem acquirendam adhibere debent determinare oportet. Notat quidam ius commune quaedam media determinare debere et ad quaedam observanda obligare debere, quia odiosum est ut haec obligationis impositio committantur Ordinario (ut in Codice). Etiam aliis e coetu illud affirmat, cui aliis adhuc accedit. Et alii omnes convenientur.

Insuper convenient omnes aliqua media spiritualia esse vere *imponenda*, scilicet imponenda est recitatio horarum canonicarum coti-

diana, et imponendus est etiam recessus spiritualis. Omnes de hoc conveniunt, sicuti omnes consentiunt in affirmando alia media sanctificationis non esse iuridice imponenda, sed esse valde commendanda. Quare proponitur textus ut sequitur:

Can 125

« Ad hanc acquirendam perfectionem clerici imprimis ministerii sui pastoralis officia conscientie et fideliter adimpleant, duplice mensa Sacrae Scripturae et Eucharistiae vitam suam spiritualem nutriant, atque aliis mediis utantur sanctificationis communibus e particularibus, iuxta normas quae sequuntur:

§ 1. Sacerdotes obligatione tenentur cotidie horas canonicas recitandi secundum proprios et probatos liturgicos libros. Idem pariter tenentur ad vacandum recessibus spiritualibus, iuxta iuris particularis praescripta »;

(Notetur, post discussionem obligationem ad recitationem horarum canonicarum impositam proponi pro solis sacerdotibus. Sane, in Seminariis curare debent Superiore ut clerici iam se praeparent ad exercitium huius obligationis, et igitur ut horas canonicas recitent).

§ 2. Enixe commendatur sacerdotibus ut cotidie Sacrificium Eucharisticum litent, aliis vero clericis ut in eo offerendo cotidie participant.

§ 3. Omnibus clericis commendatur ut cotidie lectioni Sacrae Scripturae atque orationi mentali per aliquod tempus incumbant, Sanctissimum Sacramentum visitent, Deiparam Virginem, praesertim mariano rosario, colant, atque conscientiam suam discutiant; ipsis item commendatur ut frequenter ad Poenitentiae sacramentum accedant ».

2. De vita intellectuali (can. 129-181)

Omnes affirmant necessitatem pro clericis ut scientiis sacris et etiam profanis incumbant, quatenus id necessarium aut utile est. Variae sunt propositiones. Quidam proponit tres §§ pro canone ponendo post can. 139. Alias aliam formulam proponit, dum unus ex consultoribus duos canones proponit. Duo Consultores proponunt ut can. 129 textum Decreti « Presbyterorum Ordinis » assumat et affirmet « scientiam suam de divinis et humanis apte et sine intermissione perficiant », atque ut deinde in can. 131 praevideantur conferentiae de re dogmatica, morali, pastorali et liturgica. Adhuc et alius Consultor aestimat textum Decreti conciliaris esse assumendum.

Post discussionem, omnes convenient *examina* post sacerdotium esse abolenda. Insuper convenient textus conciliares assumendos esse in Codice, ita ut textus proponatur ut sequitur:

Can. 126

§ 1. « *Clerici studia sacra, recepto etiam sacerdotio, ne intermittant; et solidam illam doctrinam, in Sacra Scriptura fundatam, a maioribus traditam et ab Ecclesia receptam sectentur. Conciliorum ac Romanorum Pontificum documenta bene noscant atque probatos scientiae theologicae scriptores consulant, ut apti sint qui difficultatibus et questionibus quibus maxime homines premuntur respondeant ».*

§ 2. « *Sacerdotes, iuxta iuris particularis praescripta, paelectiones pastorales statim post ordinationem sacerdotalem instituendas frequenter, atque statutis ab eodem iure temporibus aliis quoque intersint paelectionibus, conventibus theologicis aut conferentiis, quibus ipsis paebeatur occasio ad pleniores methodorum pastoralium et scientiarum sacrarum cognitionem acquirendam ».*

§ 3. « *Profanarum quoque scientiarum, earum praesertim quae cum sacris connectuntur, cognitionem prosequantur, ut ad colloquium cum coetaneis opportunius ineundum aptiores sint ».*

3. De coelibatu ecclesiastico (can. 132-133).

1) Principium coelibatus ecclesiastici (can. 132).

Differunt membrorum opiniones de initio obligationis coelibatus. Iuxta unum ex Consultoribus, affirmari debet in § 1 huius canonis obligatio coelibatus, et quidem affirmari debet eandem initium habere inde ab ordinibus maioribus, hoc est, iuxta disciplinam quae futura paevidetur, inde a diaconatu.

Iuxta alterum, initium obligationis esse debet *ordinatio sacerdotalis*, et consentit alias consultor. Sed est qui ipsis opponit adfirmans in tali casu iuvenes diaconos, qui in hoc statu permanent, non esse obligatos ad coelibatum, quod est contrarium Constitutioni « *Lumen gentium* », vi cuius iuvenes diaconi tenentur ad coelibatum. Subsumit consultor qui coelibatum sacerdotalem sustinet urgens talibus iuvenibus matrimonium permittendum esse. Sed observat secretarius adiunctus Commissionem nostram mutare non posse disciplinam a Concilio statutam. Tantum idem Consultor proponit ut regula generalis sit quod obligatio coelibatus initium sumat a sacerdotio, et ut § specialis enuntietur pro illis iuvenibus

qui in statu diaconatus permanere intendunt. Sed respondet secretarius adiunctus magis logicum esse ut principium enuntietur obligationem initium habere a diaconatu, et ut deinde in § 2 exceptio statuatur pro viris maturioris aetatis qui in statu diaconatus permanere intendunt. Cum hac opinione convenientiunt alii omnes. Quare canon proponitur ut sequitur:

Can. § 1. « *Clerici, recepto diaconatus ordine, obligatione tenentur servandi perfectam perpetuamque propter Regnum coelorum continentiam, ideoque ad coelibatum adstringuntur* ».

Instat adhuc idem Consultor, arguens de obligatione ad *Castitatem* sermonem esse faciendum. Cui respondent duo Consultores, Decretum « Presbyterorum Ordinis » sermonem facere de obligatione ad continentiam, ea praecise ratione quia omnes homines, iuxta proprium statum, tenentur ad castitatem. Quare, omnibus consentientibus, servatur textus propositus.

§ 2: proponitur deinde textus pro hac altera § canonis, in qua de diaconis, etiam matrimonio iunctis, qui sunt maturioris aetatis, quaestio est: hi enim, iuxta Constitutionem « *Lumen gentium* », non tenentur ad continentiam.

§ 2 « *Praescripto paragraphi 1 non tenentur viri maturioris aetatis in matrimonio viventes qui, iuxta decreta competentis Episcoporum Conferentiae a Summo Pontifice adprobata, ad diaconatum stabilem promoventur* ».

De quibusdam verbis huius § disputatum est. Est qui praefert verba « iuxta *ordinationem* Conferentiarum Episcoporum », dum alii duo, praeferunt verba « iuxta *decreta* »; quartus proponit « iuxta statuta ». Sed, proponente secretario adiuncto, decisiones Conferentiarum non debent vocari statuta, sed decreta, sicuti decisiones Conciliorum particularium. Convenientiunt omnes de textu servando.

Quaestionem ponit quidam: utrum viri maturioris aetatis qui non sunt matrimonio iuncti teneantur ad coelibatum, si diaconatum recipiunt? ».

Iuxta secretarium adiunctum, mens Constitutionis « *Lumen gentium* » est ut soli viri maturioris aetatis qui iam sunt matrimonio iuncti ad coelibatum non teneantur. Plerique consentiunt, et etiam qui quaestionem posuit in hac opinione est.

Haec interpretatio, iuxta secretarium adiunctum, eo vel magis est admittenda, quod secus iuvenes, qui tenentur ad coelibatum, postea, facti

viri maturioris aetatis, non amplius obligarentur: talis certocertius non est mens Concilii.

Est qui proponit ut res subiiciatur Commissioni « De Concilii Decretis interpretandis » ut det interpretationem textus conciliaris. Sane, ut observant aliqui, textus est satis clarus, sed quaestio subiici potest dictae Commissioni. Plerique autem aestimant tales viros maturioris aetatis, non iam matrimonio iunctos, teneri ad coelibatum, quia: *a*) ita est disciplina Ecclesiarum orientalium; et *b*) secus iuvenes, qui tenentur ad coelibatum, postea iam non obligarentur, scilicet quando facti sunt viri maturioris aetatis. Itaque convenient omnes textum propositum servandum esse, sed tamen quaestionem positam posse submitti Commissioni.

§ 3. « *Subdiaconi possunt quidem nuptias inire, sed, nisi sint viri maturioris aetatis ad diaconatum stabilem destinati, nuptias si contrahant ipso iure a statu clericali decidunt, nisi eorum matrimonium fuerit nullum vi aut metu eisdem incusso* ».

Omnis convenient de hoc textu. Proponit quidam ut supprimantur verba « vi aut metu eisdem incusso ». Sed respondet secretarius adiunctus alias nullitates supponere voluntatem liberam partis contrahendi matrimonium, ita ut intentionem revera habuerit matrimonium ineundi; ideo debet decidere a statu clericali. Itaque remanet textus.

Omnis ergo consentiunt de textu huius canonis, in tres paragraphos divisi.

Attamen, uti petierunt duo Consultores, Commissioni « De Concilii, Decretis interpretandis » poni debent duae quaestiones, videlicet: 1. utrum viri maturioris aetatis, qui destinantur ad diaconatum stabilem, possint iuxta praescripta Constitutionis « Lumen gentium », recepto subdiaconatu, inire matrimonium ante diaconatum;

2. utrum tales viri maturioris aetatis qui ad diaconatum stabilem destinantur debeant, antequam ad diaconatum ordinentur, recipere subdiaconatum Rogatur secretarius adiunctus ut illas quaestiones ponat dictae Commissioni.

2) *Consectaria obligationis ad coelibatum* (can. 133).

Tanquam basis adhibetur textus a quodam consultore propositus, qui textus ad simpliciorem formam redigit textum canonis 133. Textus propositus sic sonat: « Caveant clericci ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retineant aut quoquo modo frequentent. Iudicium

an retinere vel frequentare mulieres fidelibus scandalo esse possit, ad loci Ordinarium pertinet ».

Aestimat alius Consultor, quocum plerique consentiunt, iuris particularis esse condere normas magis determinatas, et hoc statuendum esse. Quare, admittitur textus:

Can. 133

« Caveant clerici ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retineant aut quoquo modo frequentent. Iuris particularis est normas magis determinantas, secundum locorum adjuncta, de hac re statuere; atque ad loci Ordinarium pertinet iudicium ferre utrum retinere aut frequentare mulieres in casu particulari scandalo esse possit ».

3) Generales quaedam animadversiones factae

Est qui animadversionem generalem proponit de universalitate legis coelibatus servanda vel non tenenda. Verba citat alicuius E.mi Cardinalis, iuxta quem lex coelibatus per quinquaginta annos duratura est, itemque verba quorundam Episcoporum, iuxta quos iure orientalium prudentiores normae statutae sunt. Deinde facta quaedam allegat quibus manifestantur difficultates quae habentur ex coelibatus lege: omnibus notae sunt difficultates quae habentur in America latina; in America septentrionali iam multi clerici sponsam habent; in nostris quoque regionibus magnae sunt difficultates, videlicet in Italia, in Germania, quoque ubi, de sententia quorundam Episcoporum 5% sacerdotes, coelibatus causa, a fide defecerunt

Concludit investigandum esse utrum lex coelibatus, uti hodie viget, pro omnibus regionibus retineri possit, v.g. pro America latina, pro Africa.

Unus ex Patribus animadvertisit in historia Ecclesiam fuisse reformatam, quando in honorem restituta fuit lex coelibatus.

Instat qui animadversionem generalem ponit, aliud factum allegans, scilicet in quadam dioecesi Americae latinae clausum esse seminarium, quia 95% alumnorum contra legem coelibatus protestati sunt.

Unus animadvertisit, iuxta quosdam legem coelibatus a non paucis non observari, eo fine ut dispensationem obtineant, alter observat et ipse periculum quod habetur in facili concessione dispensationis.

Adhuc qui quaestionum ponit, declarat in Commissione praeparatoria ad Concilium Vaticanum II membra omnia primo facilitiori di-

spensationi fuisse contraria, « ne aperiatur porta », sed eandem Commissionem, post hebdomadam discussionis et deliberationis, unanimiter admississe ius ab obligatione sese liberandi eorum qui, ob causas physicas vel psychicas, inhabiles sunt qui coelibatum observent, et quidem causae illae sive ante ordinationem sive post eandem intercesserint; insuper membra admirerunt sacerdotibus qui in hac lege observanda defecerunt non esse denegandam viam salutis.

Ill.mus secretarius adjunctus, rogans ut finis imponatur huic discussioni, declarat legem coelibatus in Decreto « Presbyterorum Ordinis » esse servatam, et Commissionem nihil statuere posse contra decreta Concilii, itaque nihil mutandum esse in propositis supra canonibus. Consentient omnes.

4) *De vita communi* (can. 134)

Ab uno ex consultoribus proponitur textus verbis generalibus enuntians aliquam vitam communem vel aliquod vitae consortium, iuxta iuris particularis praescripta, instituendum.

Imprimis notat Ill.mus secretarius adjunctus normam de vita communis esse enuntiadam immediate postquam de officiis pastoralibus quaestio est, quia vitae communis praxis aut aliquod vitae consortium favere potest vitae pastorali et intellectuali.

Quaestio deinde tractatur utrum admitti debeat, quod ius particolare possit imponere vitam communem clericis. Aliquis aestimat statuendum esse ut iure particulari vita communis clericorum imponi possit. Dissentient alii, ad quorum mentem, vita communis suaderi potest, sed non imponi: est qui censet eam suadendam esse; item aliis tenet suadendam esse vitam communem, non autem imponendam, quia eam imponere est odiosum, sed insuper statuendum esse vitam communem esse servandam, ubi talis praxis viget; item tres Consultores censem clericos hortandos esse ut vitam ducant communem, sed eandem non esse imponendam.

Quare proponitur a secretario adjuncto textus qui seguirit:

Can. « *Ut in officiis ministerii implendis aptius cooperari valeant, utque in vita spirituali et intellectuali colenda magis iuvamen fraternum inveniant, clericis valde commendatur quoddam vitae consortium, immo et vitae communis consuetudo; quae quidem, ubi viget, quantum fieri possit, servanda est* ».

5) *De vita sociali*

Proponitur textus de vita clericorum sociali, qui ita enuntiatur:
« Clericus vitae sociali cooperetur, quod in casibus particularibus, de consensu et sub competentia auctoritatis sui Ordinarii, fieri potest sive scientiae investigandae aut tradendae operam conferendo, sive etiam manibus laborando et ipsorum operariorum sortem participando, exclusa tamen omni factionibus politicis participatione ».

Iuxta quatuor Consultores, textus servari non debet, et sufficient quae in Decreto « Presbyterorum Ordinis » dicta sunt.

Ad mentem alicuius consultoris, specialis mentio huius cooperationis fieri non debet; si fiat, etiam aliae formae cooperationis indicari debent. De sententia alterius consultoris, propositio est nimis generalis et comprehendit res omnino diversas. Est etiam qui animadvertisit textum includere periculum ne clerici in rebus temporalibus se immisceant.

Quare, omnibus consentientibus, non servatur textus.

6) *De habitu ecclesiastico* (can. 136)

Iuxta proposita a quibusdam, convenient membra praescriptionem de gerenda tonsura non retinendam esse, quia plerumque desuetudine abrogata est, et quia non convenit moribus multarum regionum

De consensu omnium, etiam praescriptum de non gestando annulo, nisi ex permissione iuris aut privilegii apostolici, retineri non debet. Notat quidam Consultor talia privilegia hodie aliquatenus odiosa esse. Notant alii insuper diaconos stabiles, matrimonio iunctos, posse annulum gestare. Concordant insuper in admittendo rem esse minoris momenti, de qua ergo in iure nihil statui debet.

De habitu ecclesiastico, iuxta omnes, retinenda est norma, qua obligantur clerici ad deferendum habitum ecclesiasticum, secundum iuris particularis praescripta.

Ad petitionem cuiusdam consultoris, retinetur etiam quod specialis mentio fiat consuetudinis et non solummodo iuris particularis scripti; insuper consentiunt omnes ut determinatio iuris particularis scripti pertinet ad Conferentias episcopales. Quare proponitur textus:

Can. 136: « Omnes clerici decentem habitum ecclesiasticum, iuxta normas ab Episcoporum Conferentiis editas atque legitimas locorum consuetudines, deferant ».

7) *De recto usu bonorum* (Canon novus)

De simplicitate vitae colenda imprimis agitur, ad petitionem alicuius consultoris, cui consentiunt alii. Unde proponitur et admittitur textus sequens:

§ 1. « Clerici, spiritu paupertatis ducti, vitae simplicitatem colant et ab omnibus quae vanitatem sapiunt se abstineant ».

Insuper conveniunt omnes norma canonica esse affirmandam obligationem de usu bonorum quae clerici occasione exercitii officii ecclesiastici sibi comparant, iuxta Decretum « Presbyterorum Ordinis ». Quare proponitur a Secretario adjuncto norma quae sequitur:

« Bona quae occasione exercitii ecclesiastici officii sibi comparant, clerici adhibeant ad suam honestam sustentationem et ad officiorum proprii status adimpletionem, atque insuper ad bonum Ecclesiae vel opera caritatis destinent ».

Notant autem tres Consultores primariam destinationem esse sustentationem clericorum ipsorum et adimpletionem officiorum, secundariam autem aliam destinationem. Insuper disputatur utrum dici debat: « ad bonum Ecclesiae operaque caritatis » an « ad bonum Ecclesiae operave caritatis ». Suffragio rogato, quinque membra aestimant verbum « operaque » esse adhibendum, dum duo censem verbum « operave » convenire. Inde admittitur textus ita a Secretario adjuncto propositus:

§ 2. Bona quae occasione exercitii officii ecclesiastici sibi comparant, clerici, provisa sua ex eis honesta sustentatione et officiorum proprii status adimpletione, ad bonum Ecclesiae operaque caritatis destinent. Caveant ne officium ecclesiasticum quaestui unquam habeant neve redditus ex eodem provenientes in propriae rei familiaris amplificationem impendant ».

8) *De obligatione abstinendi ab iis quae statum clericalem dedecent aut ab eo sunt aliena* (can. 137-142).

Alius ordo dicendorum proponitur quam ordo qui in Codice habetur, ita ut coniungantur quaedam obligationes quae in Codice separatim enuntiantur. Omnes de hoc concordant. Ita obligatio in can. 137 enuntiata coniungi debet cum obligationibus, de quibus in can. 139, § 3; quae ergo in can. 137 habentur remittuntur ad can. 139.

Distinguenda sunt ea quae statum clericalem dedecent, et ea quae, licet non indecora, tamen a statu clericali sunt aliena. Duplex ergo canon est redigendus, de communi sententia.

a) Ad obligationem quod attinet vitandi ea quae indecora sunt, principium generale affirmari debet, sed, proponente quodam Consultore, eiusdem principii determinatio relinquere debet iuri particulari, vide licet iuri tum Conciliorum particularium et Conferentiarum Episcoporum, tum dioecesis. Itaque admittitur canon sequens:

Can. 138

« Clerici ab omnibus iis quae statum suum dedecent prorsus abstinent, iuxta Conciliorum particularium Conferentiarumque Episcoporum decreta atque Ecclesiae particularis statuta ».

b) Ad officium quod attinet vitandi quae, licet non indecora, a statu tamen clericali sunt aliena, convenient coetus membra, in § 1 enuntiandam esse regulam generalem, quae habetur in Codicis canone 139, § 1. Convenient deinde in eodem canone, § 2 servandam esse solam prohibitionem officia publica exercendi quae secum trahunt exercitium laicalis iurisdictionis, et sub hac prohibitione comprehendendi etiam prohibitionem munera senatoris aut deputati quem vocant, non autem esse exprimendas alias prohibitiones, uti sunt prohibitio exercendi medicinam et exercendi munus publici notarii, quia generalis prohibitio in § 1 sufficit, quoad ea rarius eveniunt. Convenient etiam in § 3 servandam esse prohibitionem ineundi gestionem bonorum etc.; non autem esse exprimendam prohibitionem exercendi munus procuratoris vel advocati: quattuor membra aestimant illam prohibitionem formaliter non esse exprimendam, dum tria illam retinendam censem. Convenient etiam generalem in quarta paragraphe prohibitionem esse enuntiandam, vi cuius clerici non possunt, inconsulto Ordinario vel sine eiusdem licentia, aliquem trahere coram laicali tribunali; etiam, proponente quodam Consultore, consentiunt clericos partem non posse habere in iudicio criminali, nulla facta mentione de gravi poena personali. Tandem, proponente eodem Consultore, admittunt mentionem fieri posse prohibitionis subscribendi syngrapham, vulgo dictae *traite, cambiale*, qua scilicet, nulla indicata ratione obligationis, aliquis se obligat ad solvendam certam summam: ratio est quia, iuxta proponentem, periculosa omnino est talis obligatio. Quare deliberatione facta, admittitur textus provisorius sequens:

§ 1. « *Ea etiam quae, licet non indecora, a clericali tamen statu sunt aliena, vitent* ».

§ 2. « *Officia publica quae participationem in exercitio laicalis iurisdictionis secumferunt ne assumant, Episcopi sine licentia Sanctae Sedis, nec alii clerci nisi obtenta, in locis ubi intercesserit prohibitio pontificia, licentia eiusdem Sanctae Sedis, in aliis vero locis, licentia tum sui Ordinarii proprii, tum Ordinarii loci in quo iurisdictionem administracione exercere intendunt* ». (Nota secretarii adjuncti: « *in quo illa officia exercere intendunt* »).

§ 3. « *Sine licentia sui Ordinarii, ne ineant gestiones honorum ad laicos pertinentium aut officia saecularia quae secumferant onus reddendarum rationum; a fideiubendo, etiam de propriis bonis inconsulto loci Ordinario, prohibentur; item a subscribendis syngraphis, quibus nempe obligatio solvendae pecuniae, nulla definita causa, suscipitur, abstineant* ».

§ 4. « *Sine licentia sui Ordinarii, neminem coram tribunali laicali trabant; in laicali iudicio criminali nullam habeant partem, ne testimonium quidem sine necessitate ferentes* ».

c) A statu clericali aliena quoque sunt servitium militare et quedam publica civilia officia. In Codice, canone 121, *privilegium* affirmatur clericorum, quo immunes ab iisdem declarantur. Ut supra notatum est, aestimant coetus membra hodie expedire ut exemptiones ab illis officiis non sustineantur vi privilegii canonici, sed ut clericorum affirmetur obligatio utendi exemptionibus quas leges civiles aut conventiones Ecclesiam inter et auctoritatem civilem initiae concedunt. Proponente uno ex consultoribus, quocum alii consentiunt, imprimis declarari debet servitium militare cum statu clericali non congruere, ut obligatio clericorum affirmata intelligatur; insuper asseri debet obligatio clericorum non suscipiendo officia civilia quae a statu clericali sunt aliena, quatenus ab iisdem eximuntur legibus civilibus aut conventionibus auctoritatem ecclesiasticam inter et Nationes initis. Omnes convenient. Aestimat idem Consultor, cui consentit et alter, affirmandam quoque esse rationem « *ne nimis in negotiis saecularibus implicentur* ». Altera ex parte censem quidam Consultor affirmandum quoque esse clericos per se omnibus in Civitate gaudere iuribus, non secus ac alios cives. Quare enuntiantur uti textus provisorii, a secretario adjuncto si opus est alia formula proponendi, ii qui sequuntur:

Can. 140

§ 1. « *Servitium militare statui clericali minime congruit. Quare clerici militiam ne capessant voluntarii, nisi, cum sui Ordinarii licentia, ut citius liberi evadant, id fecerint. Exemptionibus a servitio militari utantur quas in eorum favorem concedunt leges civiles propriae Nationis conventionesve eandem inter et auctoritatem ecclesiasticam competentem initae, nisi in casibus particularibus Ordinarii aliter decernendum censuerint.* ».

§ 2. « *Clerici, qui sicut caeteri cives iuribus politicis et civilibus gaudere debent, similiter, nisi in casibus particularibus, aliter decreverit Ordinarius proprius, utantur exemptionibus quas ab exercendis munericibus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis, in eorum favorem concedunt eaedem leges aut conventiones.* ».

(*Nota secretarii adjuncti: ratio « ne nimis in rebus saecularibus implicentur », addi non potest in hoc canone, in quo quaestio esse debet de iis quae a statu clericali sunt aliena, seu quae cum eodem non congruunt).*

9) *De obligatione favendi concordiam inter homines.*

Proponente secretario adiuncto, positiva imprimis enuntiari debet clericorum obligatio fovendi concordiam inter homines, et deinde obligatio negativa, de qua in can. 141, scilicet obligatio nullam opem ferrandi intestinis bellis, etc. Concordant omnes, ideoque approbant textum canonis novi, qui enuntiatur ut sequitur:

Can. 141

§ 1. « *Clerici pacem et concordiam inter homines servandam quam maxime semper foveant; in intestinis bellis et ordinis publici perturbationibus nulla ratione partem habeant.* ».

§ 2. *Neque activam in factionibus politicis partem habeant, nisi iudicio competentis, ad normam canonis 139, § 2, auctoritatis ecclesiasticae, Ecclesiae utilitas aut bonum commune id requirat.* ».

10) *De probibita negotiatione (can. 142)*

Censet quidam Consultor prohibitionem de qua in can. 142 Codicis servandam esse. Alii omnes consentiunt, sed aestimant exceptiones admitti debere huic regulae, quia reapse sunt circumstantiae in quibus

clericci autem communitates clericorum negotiationem legitime exercent. Quare proponitur textus:

Can 142

« Prohibentur clericci per se vel per alios, sive in propriam sive in aliorum utilitatem, negotiationem aut mercaturam exercere, nisi de licentia legitimae auctoritatis ecclesiasticae ».

11) *De officio a dioecesi non descendendi* (can. 143)

Omnes concordant textum canonis 143 Codicis servandum esse. Attamen, de omnium consensu addi debet « notabile tempus » determinandum esse iure particulari. Conveniunt etiam verbum « beneficium » supprimi debere, quia deinceps beneficium uti accessorium ad officium habendum est. Quare proponitur textus:

Can. 143

« Clerici, licet officium residentiale non habeant, a sua tamen dioecesi per notabile tempus, iure particulari determinandum, sine licentia saltem praesumpta proprii Ordinarii, ne discedant ».

12) *De obligatione ad reverentiam et oboedientiam erga auctoritatem* (can. 127).

Omnes concordant obligationem ad reverentiam et oboedientiam affirmari debere. Dissentiunt autem de quaestione an servanda sint verba « praesertim presbyteri »; negat unus Consultor, allegans haec verba implicare minorem pro aliis obligationem, et alter, arguens obligationem esse aequalē pro omnibus clericis; e contra, affirmant alii, sed exstat qui proponit ut loco « praesertim », dicatur « imprimis »; quod omnes admittunt.

Dissentiunt etiam de quaestione utrum addi debeant verba de oboedientia erga Romanum Pontificem. Aestimat quidam illam non esse affirmandam, quia est per se clara, et quia in canone agitur de relatione ad Episcopum proprium. Alii censem eam obligationem esse expresse affirmandam. Quare textus admittitur sequens:

Can. « Omnes clericci, imprimis quidem presbyteri, speciali obligatione tenentur Summo Pontifici et suo quisque Ordinario reverentiam et oboedientiam exhibendi ».

Proposuit in scriptis Consultor quidam ut in hoc canone addatur ut clericci incepta sua et necessitates gregis Episcopo exponentes, parati sint ad sese iudicio eius subiiciendos. Aestimat tamen alter Consultor hanc quaestionem non directe pertinere ad officium oboedientiae, et insuper timet ne nimis facile adeant Episcopum clericci. Consentit consultor proponens veritatem quandam inesse in dictis socii. Conveniunt ergo membra eadem verba non esse addenda.

13) *De obligatione suscipiendi munus commissum* (can. 128)

Conveniunt omnes de servando praescripto can. 128 Codicis, sed simpliciori forma enuntiando. Quare admittitur textus sequens:

Canon « *Clerici, nisi legitimo impedimento excusentur, munus quod ipsis a suo Ordinario commissum fuerit suscipere ac fideliter adimplere tenentur* ».

14) *De clericorum obligationibus erga laicos* (novus canon)

Proponit unus e consultoribus ut aliquod habeatur de hac re praescriptum. Conveniunt alii, asserentes tamen praescriptum verbis generalibus tantummodo obligationem clericorum enuntiare debere. Proponitur textus sequens:

Canon « *Clerici praesertim sacerdotes, agnoscant atque faveant eam quam pro parte sua missionem laici in Ecclesia et in mundo exercent* ».

15) *De unione et cooperatione cum aliis sacerdotibus* (canon novus)

Proponit quidam ut mentio fiat de variis operibus quae sacerdotes excent, et quae omnia sunt cooperatio ad idem ministerium. Alius censem singulos presbyteros suum proprium ministerium considerare, sed mentionem fieri non posse de omnibus ministeriis. Ill. mus Commissionis Secretarius aestimat talem affirmationem non esse legem, sed principium pastorale. Est tandem qui proponit ut aliqua generalis obligatio de cooperatione inter sacerdotes enuntietur, sed sine enumeratione. Itaque proponitur textus.

Canon « *Clericis, quippe qui omnes ad unum conspirent opus, ad aedificationem nempe Corporis Christi quae multiplicita officia requirit, vinculo fraternitatis et orationis inter se uniti sint, et cooperationem inter se prosequantur, iuxta iuris particularis praescripta* ».

16) *De cura vocationum* (Novus canon)

Aestimat quidam Consultor obligationem clericorum esse enuntiantiam vi cuius curam habere debent vocationum. At est qui censem normam de cura vocationum non esse in sui loco, et possibile non esse ut omnia affirmentur. Sed tres simul Consultores censem aliquam normam dari posse, scilicet aliquid esse dicendum. Accedunt et duo socii coetus qui censem necessarium esse ut aliqua norma tradatur. Quare, proponitur textus sequens:

Canon « Clerici, praesertim sacerdotes, solliciti sint vocationum sacerdotalium et religiosarum, atque quos, sive iuvenes sive adultos, ad ministerium divinum idoneos iudicaverint, necessaria prudentia adhibita, adiuvent ut ad illud rite se praeparent ».

Generales deinde animadversiones proponuntur a secretario adjuncto. Imprimis textus qui admissi sunt, iterum considerari poterunt, et singulis membris coetus integrum est correctiones textuum proponere, in scriptis aut oretenus, in proxima sessione. Deinde ordo canonum stabilendus est, et admittitur propositionem de hoc ordine introduci posse a secretario adjuncto, vel etiam ab aliis membris coetus. Insuper elenches obligationum et iurium poterit ulterius compleri.

Quaestiones vero quae, iuxta deliberata in Consilio Coordinationis, pro proxima sessione huius coetus studii pertractandae statuuntur, sunt sequentes:

- 1) de reductione clericorum ad statum laicalem (can. 211-214);
- 2) de circumscriptionibus ecclesiasticis (can. 215-217);
- 3) de Conciliis plenariis et provincialibus (can. 281-292) et de Conferentiis Episcoporum.

W. Onclin, *Secr. ad.*

TEXTUS RECOGNITUS UT PROPONITUR

I.

DE CLERICORUM ADSRIPTIONE SEU INCARDINATIONE

(*Necessitas incardinationis, communitates quibus clerici incardinantur - cf. can. 111; § 1: M.P. Ecclesiae Sanctae n. 4*)

Canon

« § 1. Quemlibet clericum oportet esse adscriptum aut alicui Ecclesiae particulari aut Praelatura personali aut alicui religioni aut societati hac facultate ab Apostolica Sede donatae, ita ut clerici acephali seu vagi minime admittantur.

§ 2. Nomine Ecclesiae particularis intelleguntur dioecesis, praelatura et abbatia nullius, praefectura et vicaria apostolica necnon administratio apostolica stabiliter erecta.

§ 3. Ecclesiae particulari in canonibus qui sequuntur, aequiparatur praelatura personalis cui quidem competit sibi incardinare clericos qui mittantur ad servitium sacrum praestandum in aliqua Ecclesia particulari cleri inopia laborante aut destinentur ad peculiaria opera pastoralia vel missionalia perficienda pro variis regionibus aut coetibus socialibus, qui speciali indigent adiutorio ».

(*Radix incardinationis; cf. can. 111, § 2*)

Canon

« § 1. Per receptionem subdiaconatus aliquis fit clericus et adscribitur Ecclesiae particulari pro cuius servitio promotus est.

§ 2. Item per receptionem subdiaconatus religiosus qui vota perpetua emiserit et sodalis societatis qui promissiones perpetuas fecerit, adscribitur tanquam clericus religioni aut societati in qua promotus est ».

(*Mutatio incardinationis formalis - cf. can. 112*)

Canon

« § 1. Ut clericus alienae Ecclesiae particulari valide incardinetur, a suo Ordinario obtinere debet litteras ab eodem subscriptas excardi-

nationis; et pariter ab Ordinario alienae Ecclesiae particularis litteras ab eodem subscriptas incardinationis.

§ 2. Excardinatio ita concessa effectum non sortitur nisi incardinatione obtenta in alia Ecclesia particulari ».

(*Mutatio incardinationis automatica* - cf. M.P. *Ecclesiae Sanctae*, n. 3, § 5: can. 115)

Canon

§ 1. « Clericus qui a propria Ecclesia particulari in aliam legitime trasmigraverit, huic Ecclesiae particulari, transacto quinquennio, ipso iure incardinatur, si talem voluntatem in scriptis manifestaverit tum Ordinario Ecclesiae hospitis tum Ordinario proprio, nec horum alteruter ipsi contrariam scripto mentem intra quattuor menses significaverit.

§ 2. Etiam per professionem perpetuam in religione aut per promissionem perpetuam in societate facultate sibi clericos adscribendi gaudente, clericus a propria Ecclesia particulari excardinatur, et religioni aut societati adscribitur ».

(*Emigratio in aliam Ecclesiam particularem, sine incardinatione* - cf. M.P. *Ecclesiae Sanctae*, n. 3, §§ 1-4)

Canon

« § 1. Extra casum verae necessitatis propriae Ecclesiae particularis, Ordinarii ne denegent licentiam emigrandi clericis, quos paratos sciant atque aptos aestiment qui regiones petant gravi cleri inopia laborantes, ibidem sacrum ministerium peracturos; current vero ut per conventionem scriptam cum Ordinario loci quem petunt iura et officia eorum clericorum stabiliantur.

§ 2. Current Ordinarii ut clerici ita instituantur ut non tantum Ecclesiae particularis in cuius servitium incardinantur, sed universae Ecclesiae quoque sollicitudinem habeant, atque paratos se exhibeant qui Ecclesiis particularibus, quarum gravis urget necessitas sese devoveant.

§ 3. Ordinarii licentiam ad aliam Ecclesiam particularem transmigrandi concedere possunt suis clericis, ad tempus praefinitum, etiam plures renovandum, ita tamen ut iidem clerici in propria Ecclesia particulari incardinati maneant, atque in eandem redeentes omnibus iuribus gaudeant, quae haberent si in ea sacro ministerio addicti fuissent.

§ 4. Curent iidem Ordinarii ut clerici a propria Ecclesia particulari ad Ecclesiam particularem alterius Nationis transmigrare intendentess apte praeparentur ad ibidem sacrum ministerium exercendum, ut scilicet et linguae regionis scientiam acquirant, et eiusdem institutorum, condicionum socialium, usuum et consuetudinum intelligentiam habeant.

§ 5. Clericus qui legitime in aliam Ecclesiam particularem transierit, suae propriae Ecclesiae manens incardinatus, a proprio Episcopo aut Praelato iusta de causa revocari potest, dummodo serventur conventiones cum alio Episcopo initiae atque requisita naturalis aequitatis.

Pariter, iisdem conditionibus servatis, Ordinarius alienae Ecclesiae particularis iuxta de causa poterit eidem clero licentiam ulterioris commorationis in suo proprio territorio denegare ».

(*Nota*) Paragraphi 2 et 4 huius canonis poterunt deinceps, si id expedire videatur, in alium locum novi Codicis transferri: e.g., § 2 in locum ubi agatur de institutione sacerdotali; § 4 in locum ubi quaestio sit de Episcoporum obligationibus.

(*Causae ad licitam excardinationem - cf. can. 116*)

Canon

« Excardinatio licite concedi nequit sine iustis causis, quales sunt Ecclesiae utilitas aut bonum ipsius clericci. Sed nec denegari potest nisi exstantibus gravioribus causis; quae, si adsint, licet clero, qui Episcopum receptorem invenerit, contra decisionem denegantem recurrere, via sive administrativa sive iudicaria ».

(*Causae ad licitam incardinationem - cf. can. 117*)

Canon

« Ad incardinationem alieni clericci Ordinarius ne deveniat nisi:

1. Necessitas aut utilitas suaee Ecclesiae particularis id exigat, et salvis iuris praescriptis honestam sustentationem clericorum respicientibus;

2. Ex legitimo documento sibi constiterit de concessa excardinatio-ne, et habuerit praeterea ab Ordinario excardinante, sub secreto si opus sit, de clericci vita, moribus ac studiis opportuna testimonia;

3. Clericus eidem Ordinario scripto declaraverit se novae Ecclesiae particularis servitio velle addici ad normam sacrorum canonum ».

(Quinam concedere possint excardinationem, atque licentiam transmigrandi - cf. can. 113)

Canon

« Excardinationem et incardinationem, itemque licentiam ad aliam Ecclesiam particularem transmigrandi concedere nequeunt Vicarius Generalis vel Vicarius Episcopalis sine mandato speciali; nec Vicarius Capitularis, nisi post annum a vacatione sedis episcopalnis, et cum consensu Capituli ».

II.

DE CLERICORUM OBLIGATIONIBUS ET IURIBUS

(De clericorum destinatione ad ministeria sacra - cf. can. 118)

Can. 118

« Soli clerci obtinere possunt officia ad quorum exercitium requiritur potestas ordinis aut potestas iurisdictionis ecclesiasticae ordine sacro innixa ».

Can. novus

« § 1. Clericis ius est cooperandi cum proprio Episcopo in exercitio ministerii episcopalnis, iuxta iuris praescripta.

§ 2. Clerici, verificatis conditionibus iure requisitis, ius habent ad obtinendum aliquod ministerium ecclesiasticum ».

Can. novus

« Ius est clericis ut sibi praebeatur tempus requisitum ad utendum subsidiis ad vitam supernaturalem fovendam necessariis necnon ad formationem intellectualem, praesertim theologicam, per studia perficiendam ».

Can. novus

« Ius est clericis sese consociandi cum aliis ad vitam spiritualem fovendam vel ad alios fines honestos statui clericali congruentes consequendos ».

Can. novus

« Clericis ius est ut debito et sufficienti quotannis gaudeant feriarum tempore, iure particulari determinando ».

Can. novus

« § 1. Clericis ius est ut pro ministerio ecclesiastico quod exercent, ratione habita tum ipsius muneris naturae tum locorum temporumque conditionum, remunerationem percipientiae suae condicioni congruam, quaque possint necessitatibus vitae suaee et illorum qui servitio suo se dedicant providere atque etiam indigentibus per se ipsos aliqua ratione subvenire.

§ 2. Item ipsis ius est ut provideantur suae congruenti praecaventiae et adsistentiae sanitariae, atque, prospiciatur suae sustentationi, si infirmitate, invaliditate aut senectute laborant ».

Can. novus

« Clericis ius est ad competentem auctoritatem ecclesiasticam recurrendi, ut efficaciter iura statui clericali propria vindicare valeant ».

(*De vita spirituali* - cf can. 124-126)

Can. 124

« In vita sua ducenda ad perfectionem acquirendam peculiari ratione tenentur clericci, praesertim sacerdotes, quippe qui, Deo in Ordinis receptione novo modo consecrati, dispensatores sint mysteriorum Dei in servitium Eius Populi ».

Can. 125

« Ad hanc acquirendam perfectionem clericci imprimis ministerii sui pastoralis officia conscie et fideliter adimpleant, duplii mensa Sacrae Scripturae et Eucharistiae vitam suam spiritualem nutriant, atque aliis mediis sanctificationis utantur communibus et particularibus, iuxta normas quae sequuntur:

§ 1. Sacerdotes obligatione tenentur cotidie horas canonicas recitandi secundum proprios et probatos liturgicos libros. Idem pariter tenentur ad vacandum recessibus spiritualibus, iuxta iuris particularis praescripta.

§ 2. Enixe commendatur sacerdotibus ut cotidie Sacrificium Eucharisticum litent, aliis vero clericis ut in eo offerendo cotidie participant.

§ 3. Omnibus clericis commendatur ut cotidie lectioni Sacrae Scripturae atque orationi mentali per aliquod tempus incumbant, Sanctissimum Sacramentum visitent, Deiparam Virginem, praesertim mariano rosario, colant, atque conscientiam suam discutiant; ipsis item commendatur ut frequenter ad Poenitentiae sacramentum accedant ».

(*De vita intellectuali* - cf. can. 129-131)

Can. 126

« § 1. Clerici studia sacra, recepto etiam sacerdotio, ne intermittant; et solidam illam doctrinam, in Sancta Scriptura fundatam, a maioribus traditam et ab Ecclesia receptam sectentur. Conciliorum ac Romanorum Pontificum documenta bene noscant atque probatos scientiae theologicae scriptores consulant, ut apti sint qui difficultatibus et quaestionibus quibus maxime homines premuntur respondeant.

§ 2. Sacerdotes, iuxta iuris particularis praescripta, praelationes pastorales statim post ordinationem sacerdotalem instituendas frequenter, atque statutis ab eodem iure temporibus aliis quoque intersint praelationibus, conventibus theologicis aut conferentiis, quibus ipsis pribetur occasio ad pleniorum methodorum pastoralium et scientiarum sacrarum cognitionem acquirendam.

§ 3. Profanarum quoque scientiarum, earum praesertim quae cum sacris connectuntur, cognitionem prosequantur, ut ad colloquium cum coaetaneis opportunius ineundum aptiores sint ».

(*De coelibatu servando* - cf. can. 132-133)

Can. novus

« § 1. Clerici, recepto diaconatus ordine, obligatione tenentur servandi perfectam perpetuamque propter Regnum coelorum continentiam ideoque ad coelibatum adstringuntur.

§ 2. Praescripto paragraphi 1 non tenentur viri maturioris aetatis in matrimonio viventes qui, iuxta decreta competentis Episcoporum Conferentiae a Summo Pontifice adprobata, ad diaconatum stabilem promoventur.

§ 3. Subdiaconi possunt quidem nuptias inire, sed, nisi sint viri maturioris aetatis ad diaconatum stabilem destinati, nuptias si contrahant ipso iure a statu clericali decidunt, nisi eorum matrimonium fuerit nullum vi aut metu eisdem incusso ».

Can. 133

« Caveant clerici ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retineant aut quoquo modo frequentent. Iuris particularis est normas magis determinatas, secundum locorum adiuncta de hac re statuere; atque ad loci Ordinarium pertinet iudicium ferre utrum retinere aut frequentre mulieres in casu particulari scandalo esse possit ».

(*De vita communi* - cf. can. 134)

Can. 134

« Ut in officiis ministerii implendis aptius cooperari valeant utque in vita spirituali et intellectuali colenda magis iuvamen fraternum inveniant, clericis valde commendatur quoddam vitae consortium, immo et vitae communis consuetudo; quae quidem, ubi viget, quantum fieri possit, servanda est ».

(*De habitu ecclesiastico* - cf. can. 136)

Can. 136

« Omnes clerici decentem habitum ecclesiasticum, iuxta normas ab Episcoporum Conferentiis editas atque legitimas locorum consuetudines, deferant ».

(*De recto usu bonorum*)

Can. novus

§ 1. Spiritu paupertatis ducti, vitae simplicitatem colant et ab omnibus quae vanitatem sapiunt se abstineant.

§ 2. Bona quae occasione exercitii ecclesiastici officii sibi comparrant, clerici, provisa sua ex eis honesta sustentatione et officiorum proprii status adimptione, ad bonum Ecclesiae operaque caritatis destinent. Caveant ne officium ecclesiasticum quaestui umquam habeant neve redditus ex eodem provenientes in propriae rei familiaris amplificationem impendant ».

(*De iis a quibus abstinere debent* - cf. can. 137-142)

Can. 138

« § 1. Clerici ab omnibus iis quae statum suum dedecent prorsus abstineant, iuxta Conciliorum particularium Conferentiarumque Episcoporum decreta atque Ecclesiae particularis statuta ».

Can. 139

« § 1. Ea etiam quae, licet non indecora, a clericali tamen statu aliena sunt, vitent.

§ 2. Officia publica quae participationem in exercitio laicalis iuris dictionis secumferunt ne assumant, Episcopi sine licentia Sanctae Sedis, nec alii clerici nisi obtenta, in locis ubi intercesserit prohibitio pontifi-

cia, licentia eiusdem Sanctae Sedis, in aliis vero locis licentia tum Ordinarii proprii, tum Ordinarii loci in quo iurisdictionem administratio nemve exercere intendunt.

§ 3. Sine licentia sui Ordinarii, ne ineant gestiones bonorum ad laicos pertinentium aut officia saecularia quae secumferunt onus reddendarum rationum; a fideiubendo, etiam de bonis propriis, inconsulto loci Ordinario, prohibentur; item a subscribendis syngraphis, quibus nempe obligatio solvendae pecuniae, nulla definita causa, suscipitur, abstineant.

§ 4. Sine licentia sui Ordinarii, neminem coram tribunalii laicali trahant; in laicali iudicio criminali nullam habeant partem, ne testimonium quidem sine necessitate ferentes ».

Can. 140

« § 1. Servitium militare statui clericali minime congruit. Quare clerici militam ne capessant voluntarii, nisi, cum sui Ordinarii licentia, ut citius liberi evadant, id fecerint. Exemptionibus a servitio militari utantur quas in eorum favorem concedunt leges civiles propriae Nationis conventionesve eandem inter et auctoritatem ecclesiasticam competentem initiae, nisi in casibus particularibus Ordinarii aliter decernendum censuerint.

§ 2. Clerici, qui sicut caeteri cives iuribus politicis et civilibus gaudere debent, similiter, nisi in casibus particularibus aliter decreverit Ordinarius proprius, utantur exemptionibus quas ab exercendis muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis, in eorum favorem concedunt eaedem leges aut conventiones.

Can. 141

« § 1. Clerici pacem et concordiam inter homines servandam quam maxime semper foveant, in intestinis bellis et ordinis publici perturbationibus nulla ratione partem habeant.

§ 2. Neque activam in factionibus politicis partem habeant, nisi iudicio competentis, ad normam can. 139, § 2, auctoritatis ecclesiasticae, Ecclesiae utilitas aut bonum commune id requirat ».

Can. 142

« Prohibentur clerici per se vel per alios, sive in propriam sive in aliorum utilitatem, negotiationem aut mercaturam exercere, nisi de licentia legitimae auctoritatis ecclesiasticae ».

(*De obligatione residentiae* - cf. can. 143)

Can. 143

« Clerici, licet officium residential non habeant, a sua tamen dioecesi per notabile tempus, iure particulari determinandum, sine licentia saltem praesumpta Ordinarii proprii, ne discedant ».

(*De oboedientia* - cf. can. 127).

Can. 127

« Omnes clerici, imprimis quidem presbyteri, speciali obligatione tenentur Summo Pontifici et suo quisque Ordinario reverentiam et oboedientiam exhibendi ».

(*De relationibus cum fidelibus laicis*)

Can. novus

« Clerici, praesertim sacerdotes, agnoscant atque foveant eam quam pro parte sua missionem laici in Ecclesia et in mundo exercent ».

(*De munere pastorali fideliter adimplendo* - cf. can. 128)

Can. 128

« Clerici, nisi legitimo impedimento excusentur, munus quod ipsis a suo Ordinario commissum fuerit suscipere ac fideliter adimplere tenentur ».

Can. novus

« Clerici, quippe qui omnes ad unum conspirent opus, ad aedificationem nempe Corporis Christi, quae multiplicita officia requirit, vinculo fraternitatis et orationis inter se uniti sint, et cooperationem inter se prosequantur, iuxta iuris particularis praescripta ».

(*De cura vocationum*)

Can. novus

« Clerici, praesertim sacerdotes, solliciti sint vocationum sacerdotalium ac religiosarum, atque quos, sive iuvenes sive adultos, ad ministerium divinum idoneos iudicaverint, necessaria prudentia adhibita, adiuvent ut ad illud rite se praeparent ».

W. Onclin, *secretarius adiunctus*

